



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Comites Tolosani jure Regaliæ temporalis fruebantur in universa ditione sua. Probatur ex literis Raimundi Comitis Tolosani datis anno millesimo ducentesimo nono.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

in literis Raimundi; quæ restituenda est ex regeſto Innocenti tertij. Quam occasione conceſſa hæc immunitas à Raimundo. Factum id poſt abſolutionem ab excommunicatione, jubente Milone Legato ſedis apoſtolice. Datur nova editio auſtior & emendatior earum Raimundi literarum.

I. **C**OMITES quoque Tolofatum jure Regaliæ temporalis fruebantur in univerſa ditione ſua. Colligitur illud ex literis Raimundi Comitis Tolofani, Ducis Narbonæ, & Marchionis Provincia: qui anno MCCIX. perſonas eccleſiaſticas ſibi ſubjectas in provinciis Vienneniſi, Arelatenſi, Narbonenſi, Bituricenſi, & Burdegalenſi exſolvit neceſſitate contribuendorum tributorum quæ antea ab iis exigebantur; tum etiam profiteretur ſe deinceps occupatorum non eſſe ſpolia Epiſcoporum morientium, neque adminiſtrationem Eccleſiarum vacantium ad ſe tracturum, abolita conſuetudine contraria, & omnia futuro ſucceſſori conſervari jubet. Literæ illæ extant integre apud Catellum in hiſtoria Comitum Tolofanorum. *Defunctis earum Epiſcopis vel rectoribus aliis, inquit Raimundus, ipſos vel domus eorum per me vel per alium nullo modo ſpoliabo, nec adminiſtratione earum ſeu custodia, occasione alicujus conſuetudinis vel aliqua alia, me ullatenus immiſcebo; ſed omnia, ſine aliqua diminutione, defunctorum ſucceſſoribus teneantur. Electioni autem Epiſcopi vel alterius rectoris Eccleſiæ faciendæ per me vel per quamcumque perſonam me ullatenus immiſcebo.*

II. Libertas illa Eccleſiarum à Rege Philippo Pulcro confirmata eſt, quoad provinciam Narbonenſem, literis datis apud urbem Nemaufenſem anno MCCCIII. hiſ verbis: *Nolumus quòd gentes noſtræ occupent Regalia Eccleſiarum vacantium provincie Narbonenſis.* Earum literarum exemplar vidimus in Præcepto authentico ejuſdem Regis, quod præ manibus habuimus, dato anno milieſimo trecentefimo decimo. In eo exemplo diſertè ſcriptum eſt *Nolumus.* Hoc autem ideo viſum eſt admonere, quòd inſignis error irrepſerit in eaſdem literas, prout editæ ſunt in corpore conſtitutionum regiarum, ubi editum eſt *Volumus.* Tanti autem momenti eſt hæc literarum permutatio ut ob literulæ unius mutationem prorsùs evertantur privilegia provincie Narbonenſis. Attamen aſſentiri non poſſum Syndico illius provincie aſſertanti mutationem illam imputandam eſſe artificio Clericorum ſanctæ Capellæ Pariſienſis, qui eam ab anno milieſimo quingentefimo quinquageſimo inferi procuraverint in editionibus Molinæ, Fontanonis, & Guenoij. Aſſentiri inquam non poſſum huic

Syndico, quòd videam eundem errorem, gravi hallucinatione, irrepſiſſe in omnes editiones libri cui titulus eſt *Stylus Parlamenti*, qui vulgatus eſt ab Aufrerio Præſide Tolofano annis 1512. 1530. & 1542. in quibus omnibus editionibus conſtanter legitur *Volumus*, non autem *Nolumus*.

III. Quoad libertatem verò reliquarum provinciarum in literis Raimundi Comitis Tolofani comprehenſarum, non alias Eccleſias ſub vocabulo provincie Arelatenſis intellexit Raimundus præter diceceſes Arelatenſem, Maſſilienſem, Avinionenſem & aliquot alias in Marchionatu Provincie poſitas, qui per eas tempeſtates ſeparatus erat à comitatu Provincie ad Comites Aragonie ſtirpis pertinente. In provincia verò Vienneniſi Eccleſiam & pagum Vivarienſem tantùm obtinebat; reliquum provincie ad Comites Vienneniſes pertinebat, qui cuſtodes delegabant adminiſtrandis bonis temporalibus epiſcopatum Delphinatus. At cuſtodibus illis cura imponebatur conſervandi fructus futuro Epiſcopo, ut teſtatur Franciſcus Marcus in Deciſionibus Delphinatus parte II. §. 556. Nam quoad provinciam Bituricenſem, magna illius pars ſubjecta erat Comiti Tolofano, Cadurci nimirum, Albienſes, Rutheni, & Gabalitati, cum eorum epiſcopatibus. Vnde factum ut in regeſto illo Camerae Computorum quod diximus epiſcopatus Cadurcenſis, Ruthenſis, Albienſis, & Mimatenſis, qui ad provinciam Bituricenſem pertinent, inter eos recenſeantur qui juri Regaliæ obnoxij non ſunt. Sed prætermittere hoc loco non poſſum illuſtre Parlamenti Pariſienſis arreſtum latum anno M C C L X X I I. in gratiam Eccleſiæ Albienſis, quod extat in veteri regeſto ejuſdem Parlamenti. *Sabbato poſt aſcenſionem Domini reſtituta fuerunt apud Apamias, & reddita per Dominum Regem procuratoribus Capituli Albienſis, Regalia Eccleſiæ Albienſis, que mortuo Epiſcopo Albienſi Senſchallus Carcaſſonenſis ad manum Domini Regis ceperat & ſaiſinaverat ſine cauſa, cum Dominus Rex ſuper hoc aliàs nunquam uſus fuiſſet, prout ex aliorum ac ipſius relatione fuit inventum.* Sed in provincia Burdegalenſi epiſcopatum tantùm Agennenſem poſſidebat Raimundus. Nam Henricus Rex Angliæ ſororem ſuam Ioannam in matrimonium collocans cum eodem Raimundo, comitatum & pagum Agennenſem dotis nomine contulerat.

Vide Bullam Gregorij IX. in Additione ad caput XVIII. hujus libri.

